peragravit. Demum in Campaniam transiens civitatem Remensem per 6 septimanas obsidione conclusit. Abinde usque ad ~~terras~~ Trecas[42] et ultra in Burgundiam tendens et universas circumquaque regiones absque resistencia depopulans ducem Burgundie ad certa dedicionis pacta coegit, receptisque ab ipso duce pro recessu suo magnis pecuniis inde movens exercitum et in transitu suo cuncta vastans ad fines civitatis Parisiensis accessit, iuxta civitatem prope castra sua ponens. Cum autem filius regis Francie et proceres regni locum pugne non darent, quamvis per regem Anglie ad conflictum sepius provocati, sed saniori ducti consilio victualia quecunque undecumque poterant recollecta ad civitates et municiora loca conduxissent, ne ad victum paterent inimicis, rex Anglie iam longa expedicionis molestia fatigatus et victualium penuria constrictus, cum eciam iam in processu per proceres regni Francie cum ipso de pace et concordia tractaretur, in mense Maio sequenti in Angliam felici navigio repedavit, relictis tamen per ipsum pro tuendis et conservandis locis et terris per ipsum in regno Francie expugnatis armati exercitus presidiis copiosis.

Porro post ipsius regis Anglie abcessum plurimi ex Anglicis latrunculi in diversis Francie partibus remanentes et sese in agmina colligentes, quibus siquidem de Alemannia Italia et Hispania et aliis finitimis regionibus plurimi

42] Troyes.